

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Decretum

Prot. N. 40768/08 CA

Dimissionis a consociatione

(D.nus [N] – Pontificium Consilium pro Laicis)

In causa de qua supra, D.nus [N] die 15 decembris 2007 ad H.S.T. provocavit contra decisionem diei 30 novembris 2007, qua Pontificium Consilium pro Laicis eius recursum hierarchicum adversus dimissionem ab Archiconfraternitate [V] reiecit.

Cum autem Pontificium Consilium pro Laicis die 19 iunii 2008 revocaverit decretum suum diei 30 novembris 2007 et exinde desit obiectum controversiae coram H.S.T.;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae;

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

decrevit:

litem finitam declarandam esse et facto declarari finitam.

Suo tempore Cl.mus Recurrens adversus novum decretum a Pontificio Consilio pro Laicis latum, si et quatenus, uti poterit iure suo coram quo de iure.

Quod notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 24 iunii 2008.

+ Franciscus Daneels, o.praem., *Secretarius*
Paulus Malecha, *Cancellariae Praepositus*